



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 5. Papæ consilium de revocandis veteribus Legatis, novisque Tridentum mittendis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

„cile nobis videtur, sed de altero plu- Sæcul. XVI.
 „rimum sperare licet, si differretur illius A.C. 1562.
 „argumenti discussio, vel saltem ad tem-
 „pus rejiceretur, ubi de ordinis
 „Sacramento agendum esset. „ Enim-
 vero postremum ex his consiliis postea
 effectui datum est a Legatis.

Tandem Papa suis monitis finem
 imponens Legatos hortabatur, ut inter
 se, ac cum ceteris Episcopis arctam a-
 nimorum conjunctionem servare niteren-
 tur: cum autem his verbis perinde,
 acsi inter se discordes essent, illis ex-
 probrare videretur, hinc respondebant
 Legati: „videtur nobis, fieri non posse,
 „ne ibi, ubi diversæ sunt Nationes, di-
 „versæ interdum opiniones audiantur:
 „id quoque nobis ipsis quandoque con-
 „tingerat: inde vero neutiquam adver-
 „sa voluntas, aut remissius studium pro
 „tuenda Sedis Apostolicæ auctoritate
 „in nobis fuit, cum omnes ad ean-
 „dem metam concordēs tenderemus,
 „nimirum ad Ecclesiæ emolumentum,
 „ad quod aliam alius viam aptius duce-
 „re existimabat: hinc nullam inde mo-
 „lestiam Sanctitas sua capiat. „

§. V.

*Papæ consilium de revocandis veteri-
 bus Legatis, novisque Tri-
 dentum mittendis.*

A 4

Sum-

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Pallav. c. 8.
n. 13.
Sarp. l. 6.
p. 490.

Summus Pontifex haud parum ira commovebatur per literas, quas Patrum nonnulli, qui residentiae articulum decidi nolebant, ad varios amicos Romam perscribebant; nam in his discessionem in Synodo exortam tantopere exaggerabant, perinde ac si insidiae in Pontificem struerentur, eumque e Vaticano deturbandi, ac Pontificio solio privandi consilia euderentur: ea propter Pontifex falso huic rumori nimium faciles praebens aures sex Cardinales, qui summa rerum prudentia, agendique dexteritate pollebant, convocans hac super re cum illis conferebat, perceptisque eorum sententiis priores Legatos Tridento evocare, novosque eo decernere statuit, qui restituta pace Sedis Apostolicae jura cum majori studio ibidem propugnarent. Ad hoc Papam impulerat Simonetta, ad quem per Borromaeum rescripsit Pontifex, quod ad id permoveatur praecipue ipsius consilio, ac proin ipsum hortetur, ut suis sociis vehementer obstitet, si quemcunque illorum sacrae Sedi adversum deprehenderet. Igitur Pius IV. novae huic Legationi destinabat tres Cardinales, quos probatae magis fidei esse credebat, erantque sequentes, Cicala Cardinalis tit. S. Clementis, Burdasferius, & Bernardus Navagerus

vagerus Veronensis Episcopus: porro horum primus Vir erat Religionis studio, ingenii acie, ac jurisprudentiæ peritia clarissimus, ac per plures annos Camerae Apostolicæ Auditorem cum eximia nominis sui fama agebat: insuper idem ipse in omni occasione adeo probatam animi firmitatem exhibebat, ut, postquam Julius III. pace cum Carolo V. inita indicem centum Cardinalium, ex quibus tum sacrum constabat Collegium, ad eundem Principem eo fine misisset, ut Cæsar ex illis Virum, qui sese Gallorum factionibus opponere auderet, hic Princeps non alium quam Cicalam seligeret, utpote solum tam intrepido animo clarum: præterea hic Cardinalis patria erat Genuensis, quæ natio Sacræ Sedi apprimè addicta est.

Alter vero Burdaferius Cardinalis natione Gallus Engolismensis Episcopus erat, qui coram Julio summo Pontifice, apud quem Romæ Galliarum Regis Oratorem agebat, semper magnam pietatem æque, ac constantiam præseferbat, tantaque dexteritate Pontifici simul, ac Regis sui commoda procurabat, ut utriusque venerationem sibi concilians purpuram emeretur, quam eisdem summus Pontifex ad Regis preces lubenti animo donaverat: cum autem

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Sæcul. XVI. alio jam tempore inter ambos hosce
A.C. 1562. Principes in Synodi negotio concordiam revocasset, hinc Papa haud immerito sperabat, quod pari quoque studio dissidia inter Cæsarem, & Franciæ Regem exorta componere niteretur, eosque eo induceret, ut attento Sedis Apostolicæ honore hanc Synodum non nisi Concilii sub Paulo III, & Julio III. celebrati continuationem esse, declarari consentirent, præcipue cum hic Cardinalis non modo eruditionis ubertate insignis, sed etiam in rebus tam sacris, quam profanis prospere expediendis mira dexteritate celebris audiret.

Navagerus denique ex nobilissima, ac pervetusta Venetorum familia ortus spectatissimas Reipublicæ dignitates, ac munia obierat; nam præprimis in Dalmatia Syndicus, Constantinopoli Orator, Romæ, & in Francia Legatus nominabatur, cum autem voluntatem Cæsaris, apud quem pariter legationeungebatur, sibi probe perspectam haberet, hinc a summo Pontifice præ ceteris magis idoneus habebatur, ut dissidia in Concilio suborta sedaret, animosque ad unionem, & concordiam reduceret: insuper ab eo sperari poterat, quod Venetæ ditionis Episcopos, qui magno numero Synodo intererant, Sacræ Sedi magis propensos redditurus esset.

§. VI.